

B. M. II, 137.

H. 26, 2.

(X 1878967)

HENRICI MEIBOMI  
Poëtæ & Historici,

II R  
4232

DISSERTATIO,  
Super quodam antiquo & anti-  
quato Cæsarum Germanicorum iure in dece-  
dentium maiorum Prælatorum re-  
lictis possessionibus.

*Plinius libro 8. Epistolâ 24.*

Memento officij tui titulum.



HELMÆSTADII,

Ex Officina Typographica Jacobi Lucii.

ANNO M. DC XII.



*Amplissimis eruditissimisq̄  
viris,*

**DN. HENRICO SCHARDIO,**  
ICto, Septemviralis iudicij in Vete-  
ri-marchiâ assessori,

**DN. ADAMO STOLLIO,**  
Ferrifodinarum in Dynastiâ Blanco-  
burgensi Præfecto,

*fautoribus & amicis suis honorandis,*

Dicat, consecrat,

**HENRICVS MEIBOMIVS,** acade-  
miæ Iuliæ professor.





**K**arolus M. Imperij Romani versus occidentem instaurator fortissimus, felicissimus, eiusq; successores Cæsares Germanici, cum maioribus Prælati, hoc est, archiepiscopis, episcopis, & abbatibus eminentioribus, prædia ac fundos, vnde clerici diuino seruitio mancipati liberaliter & honestè alerentur, munificè assignassent, præter tallias, siue collectas regales, fodrum, paratas, & mansionaticum, (quæ regibus aduentantibus & quamdiu ibi moram traherent exhibenda erant) hoc iuris sibi ac Imperio retinuerunt, vt ex hac vitâ decedentium maiorum Prælatorum, quos dixi, relicta bona, siue res mobiles, puta aurum, argentum, pecunia, clenodia &c. ac se mouentes, videlicet equi, pecudes, animalia domestica, feræ, cederent fisco seu Camera Imperiali. Isto iure & priuilegio gauisi sunt Imperatores Germanici omnes vsq; ad Fridericum Sueuum, cognomento Barbarossam, cui Urbanus tertius hoc nomine primus litem mouit, quemadmodum in sequentibus audiemus.

Scriptores rerum Germanicarum, vt in alijs rebus, ita in hoc etiam Augustorum iure & consuetudine explicandâ valde negligentes fuere. Exstant tamen apud nonnullos vestigia quædam obscura, quæ diligenter indagata in lucem producemus. Ekkehardus monachus Sangallensis in casibus sui monasterij cap. i. de Hattone archiepiscopo Moguntino, qui Ludouici 4. & Conradi I. Augg. *σὺρξρον* fuit, sic scribit: *Paruo post tempore confectus Italicâ febre, cruce non exactâ diem obiit. Egir tamen ille (Salomon Constantiensis Episcopus) pro ani-*

*mâ eius precibus & opibus, quantumcumq; potuit: scrinia eius (Hattonis) palatio addicta sibi non proderant.*

Adamus Bremensis historiae ecclesiasticae pag. 122. Historia archiepiscoporum Bremensium edita ab Erpoldo Lindenbruch pag. 46. Albertus abbas Stadenſis, Albertus Cranſius in metropoli libr. 5. cap. 11. penè iſdem verbis de Adelberto archiepiscopo Hamburgense hæc habent: *Obijt clarissimus noster metropolitanus Adelbertus 17. Kal. Aprilis, Indictione 10. Hic est annus Domini nostri Iesu Christi 1072. Alexandri Papa II. Henrici quarti 17. Præter libros sanctorumq; reliquias & vestimenta sacra ferè nihil inuentum est in thesauris eiusdem viri, quæ tamen omnia Rex accipiens, una cum præceptis ecclesiæ tulit etiam manum S. Iacobi Apostoli, quam dono Vitalis Venetorum Episcopi ab Italiâ rediens quondam secum deportauerat.*

Chronicon Laurisheimense editum operâ Marquardi Freheri Icti & consiliarij archipalatini, in historiâ Henrici eius loci abbatis quadragesimi hæc refert: *Fruementum & vinum, quod eo anno abundantissimè prouenerat, cum his, quæ ab anno præterito more suo copiosè conseruarat, partim ab ipso distributum, partim temerè distractum, partim Imperiali munificentia successoris suo (Sigehardo) donatum.*

Hæc apud istos scriptores, quæ etsi obscura, aliqua tamen monstrant iuris huius Imperatorij vestigia. Disertius & explicatiùs rem indicat continuator Helmoldi Buzouiensis, Arnoldus ex monacho Santægidiano Brunſuicensi primus abbas Lubecensis, lib. 3. cap. 16. Vbi de Urbano 3. Papâ, cum Friderico Barbarossâ Romæ disceptante, sic scribit: *Affirmabat etiam (Urbanus Papa) quòd (Imperator) Episcoporum exuuias iniuste acciperet, quæ dum ipsis mortuis de ecclesiis rapiantur, ecclesiæ quasi corrosa & exspoliata ab Episcopis subintrantibus inueniuntur; ita ut ex necessitate quadam raptores iniusti inueniantur.*

niantur, dum ablatiſ ſtipendijs, qua iniuſta ſunt de nouo reſarcire cogantur. Et ibidem cap. 17. Philippus archiepiſcopus Coloniensis, quem cum primis hoc priuilegium Cæſareum

Obliquâ inuidiâ ſtimuliſque agitabat amaris, eundem Fridericum Aug. ita alloquitur: *Vnde etiam videtur domino Apoſtolico (Vrbano Papæ) quòd iuſtam contra vos cauſſam proponat, quòd mortuis Episcopis conſiſcantur eccleſiæ, ita vt ablatiſ omnibus mobilibus & ſtipendijs præſentis anni, Episcopuſ ſubintrans omnia exinanita inueniat.* Hæc Arnolduſ Lubecenſiſ, & ex eo Albertuſ Cranciuſ Saxon. lib. 6. cap. 50. & 51.

Verum Imperator ſapiens & cordatuſ, inſatiabili Pontificum Romanorum auaritiâ, Episcoporumque *πλεονεξία* animaduersâ, ſui ſe officij, (quod Romani Imperij redituſ & vectigalia nequaquam imminui, ſed conſeruari & pro viribus meliora reddi poſtulat) admonens, Coloniensi archiepiſcopo, eiſque complicibus maſculè reſpondet hiſ verbis: *In veritate compertum habemus, quòd prædeceſſoreſ noſtri antiqui Imperatoreſ, hoc iuriſ habuerunt, vt defunctiſ Episcopis inueſtituram Pontificalem ſine alicuiuſ præiudicio probatiſ perſoniſ liberrimè locauerint. Sed quia hoc ipſorum voluntate mutatum inuenimus, ratum habemus. Hanc verò minimam ſcintillam iuriſ noſtri, quam inuenimus, nequaquam mutari permittimus.* Hactenuſ Imp. verè Germanuſ.

Non deſtiterunt tamen archiepiſcopi & Episcopuſ Imperio Romano ſubiecti, hoc ſaxum voluere, & Imperatoribuſ quiritando moleſti eſſe, donec voti redderentur compoteſ, quod demum factum eſt poſt obituſ Henrici Sexti Imp. Barbaroſſæ F. Tunc enim principeſ maioreſ, penes quoruſ temporis poteſtaſ fuit deſignandi nouum Cæſarem, de electione diſcordarunt, quibuſdam Philippum Sueuum, alijs Ottonem Saxonem Henrici Leonis F. eligentibuſ. Hi duo

de honore & dignitate semel oblatâ retinendâ solliciti, vel inuiti cogebantur gratificari suis fautoribus. Qui etiam per hanc occasionem, (cùm iam non amplius lis esset de paupere regno, neq; exuuiæ Episcoporum, vt nuper, tenues & non magni essent momenti, sed dignæ, pro quibus vindicandis laborarent) ex illâ exactionis, quam vocabant, molestiâ atq; onere sese eximere atq; in absolutam vindicare libertatem maximoperè satagebant. Manifesta hæc & plana ex literis, quas illi principes, quorum suffragijs Otto quartus electus est, Româ ad Innocentium 4. Papam miserunt. Exstant illæ apud Cæsarem Baronium, historiæ ecclesiasticæ, tomo 10. Nos pauca inde transcribemus, quæ ita se habent. *Nos autem principes, qui iam dictum Dominum (Ottonem) in regem elegimus, feuda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominibus sibi fecimus, & fidelitatem iurauimus. Tanta igitur dignitatis munus, excellentissimus princeps, diuinæ potiùs gratia, quàm suis meritis adscribens, primitias huius honoris adferens Domino, propriâ voluntate iuramento firmavit, in primis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, deinde omnia ecclesiarum iura, bonâ fide seruare & manutenere, & subiectos Imperij, exheredatos maximè, & à suis possessionibus violenter eiectos, in suâ iustitiâ pro posse iuuare & conseruare. Pravam illam consuetudinem insuper, quam Imperatores antecessores sui, in occupandis rebus mobilibus, & se mouentibus, decedentium Episcoporum, vel Abbatum Principum, hucusq; seruauerunt, penitus extirpans, nos ecclesiasticos principes ex hac indebitâ vexatione regali beneuolentiâ liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus seruanda liberaliter statuit. Hæc illi apud Cardinalem Baronium.*

Num verò optimus Imperator, cui, vt tota eius ostendit historia, regni iura facta tecta conseruare cum primis curæ fuit, vltro, vel an non potiùs importunis electorum principum

pum

pum precibus, verborumque lenocinijs victus, in maximum  
 succedentium præiudicium, parum consultè ista admiserit,  
 lectori iudicandum relinquimus. Hoc certum est, non vbi-  
 vis locorum morem illum inualuisse, neq, omnes Prælatos in  
 Germaniâ simul istam libertatem adeptos. Colligitur hoc ex  
 diplomate Cæsareo Ottonis 4. prædicti, quod cum non pa-  
 rum rem, de quâ hîc agimus, illustret, partem eius ex codice  
 manuscripto apponemus. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trini-  
 tatis. Otto quartus diuinâ fauente clementiâ Romanorum rex &  
 semper Augustus. Iustum est & honestum, ut bene meritos suorum  
 meritorum digna beneficiorum premia congruo ordine subsequan-  
 tur. Vnde est, quòd nos attendentes præclara deuotionis obsequia,  
 quæ dilectus princeps noster Albertus ecclesie N. archiepiscopus, ab  
 exordio nostræ promotionis feruenter nobis exhibuit, & Domino  
 etiam concedente in posterum nobis est exhibiturus, non immeritò  
 ad omnia ea exequenda purâ animi nostri mouemur intentione, quæ  
 vel honorem personæ suæ respiciunt, vel ad commodû, vel utilitatem  
 ecclesie suæ principalis, & demum suffraganearum ecclesiarum suarum  
 conducunt. Cùm igitur ex antiquâ & antiquatâ consuetudine  
 omnium Episcoporum decedentiû, qui de iurisdictione sunt Imperij,  
 in quibuscunq, re ditibus, reliquie fisco cedere debeant Imperiali, ob  
 sinceram dilectionem memorati archiepiscopi, eiusq, personæ reue-  
 rentiam, successoribus, dummodo à præsentî togâ carnis exeunt, &  
 omnium Suffraganeorum suorum successoribus, in perpetuum con-  
 cedimus, ut omnes prouentus Episcopales, qui defunctis Episcopis  
 Imperio cedere consueuerunt, deinceps ad usus ipsorum colligantur,  
 & collecta reseruentur. Statuentes, ut si decedentes Episcopi aliqui-  
 bus debitis fuerint innodati, ea exinde persoluantur, per hoc tamen  
 speciale gratiæ nostræ donum N. ecclesiam, omnesq, eius Suffraga-  
 neas ecclesias, cum omnibus earum familijs occasione memorati ar-  
 chiepiscopi volentes esse specialiùs honoratas, &c. Datum Brun-  
 suigæ*

suigæ anno 1208. 13. Kal. Iunij. Hactenus diploma Ottonia-  
 num, ex quo illud, cuius meminimus, liquidò apparet: ne-  
 quaquam omnibus in Imperio ecclesijs maioribus vno eo-  
 demq; tempore immunitatem istam indultam: sed vel hunc  
 Albertum archiantistitem, vel alios, per occasionem gratiæ,  
 quâ apud Augustos valebant, huius alienationis initium fe-  
 cisse. Gustatâ autem dulcedine boli istius, Imperiali Came-  
 ræ prærepti, non destiterunt reliqui etiam Prælati omnem  
 mouere lapidem, donec optatis fortuna responderet. Ad  
 quod profuit ipsis dissidium inter Papam & Cæsarem, quod  
 eum habuit exitum, vt fulmen Italicum sceleratè & iniquè in  
 Imperatorem Ottonem vibraretur. Cui à principibus deser-  
 to & exauctorato, cum Fridericus secundus successor de-  
 signaretur, non potuit ille solidè gaudere dignitate nouâ, nisi  
 iure à maioribus suis sine iniuriâ usurpato, & quidem nuper  
 ab auo Friderico Barbarossâ contra vulturium istum transal-  
 pinum Urbanum Papam masculino animo defenso, in ma-  
 gnum Imperij Romani, aliâs per inuestiturarum Episcopa-  
 lium alienationem plus satis eneruati, inconsultè se abdicar-  
 ret. Habeo Imperatoris huius diploma datum Herbipoli an-  
 no 1216. 5. Idus Maij, ex quo pauca adscribam. *In nomine  
 sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus Dei gratiâ Romanorum  
 rex, semper Augustus & rex Sicilia. Illud priuilegium, quod Rex  
 Regum, & Dominus dominantium, in memoriam ecclesiasticæ li-  
 bertatis preciosissimo suo sanguine scripsit, ita regio decet custodire  
 fauore, vt nunquam in eo quidquam appareat, quod illius gratiæ vi-  
 deatur obtenebrare decorem, quæ à tanto procedit auctore. Vt ergo  
 post terreni regni fastigia securiùs expectare possimus ab ipso æter-  
 næ felicitatis coronam, cum rostræ deuotionis ministerio permanse-  
 rit in suæ integritatis gloriâ sponsa Christi, grata sui status debet à  
 nobis percipere potiùs incrementa, quàm ipsius quasi sub quadam  
 specie*



*specie seruitutis pro posse sinamus indumenta discerpi: ideoq; veterem illam consuetudinem detestantes, quam antecessores nostri Romanorum Imperatores & Reges in Cathedrales exercuerunt ecclesias & Abbantias, quæ manu regiâ porriguntur, quòd videlicet decedentibus Episcopis & Prelatis earum, non tam reliquias rerum mobilium eorundem consuerant occupare, & conuertere in vsus proprios occupatas, quàm etiam redditus & prouentus per totius anni curriculum ita prorsus auferre, vt non possint solui debita decedentis, nec succedenti Prelato necessaria ministrari. Eidem consuetudini, siue iuri, vel quocunq; vocabulo exprimat, renunciamus penitus, ob reuerentiam crucifixi, cuius in corpore nostro baiulamus insignia, illud eisdem ecclesiis perpetuo iure donantes, & auctoritate regiâ statuentes, vt ecclesiarum omnium libertate integrâ semper in omnibus permanente, res & redditus huiusmodi in soluenda debita decedentium Prelatorum, & in alios ecclesiasticos vsus per manus legitimè succedentium liberè conuertantur. Obsecramus igitur easdem ecclesias & in virtute altissimi contestamur, quatenus ob hanc munificentia nostræ gratiam, apud altissimum supplere dignentur imperfectum pijs orationibus, & post terminum vitæ nostræ anniuersarium obitus nostri diem in perpetua commendationis memoriâ retinere, &c.* Testes huic diplomati adscripti sunt, Otto Frisingensis Episcopus, Conradus Ratisbonensis episcopus, Sifridus Augustensis Episcopus, Siboto Havelbergensis episcopus, Engelhardus Coloniensis electus, Vlricus Patauiensis electus, Cono Eleuacensis abbas, Henricus abbas Hersfeldensis, Hartmannus Fuldensis electus, Ludouicus Comes Palatinus Reni & Dux Bauariæ, Leopoldus Dux Austriae, Otto Dux Morauiae, Hermannus marchio de Baden, & Fridericus frater eius, Anshelmus marschalcus, VVernerus dapifer, VValterus pincerna regalis aulae &c.

Ottoniano diplomati subiunguntur hi testes, Hartber-

B

tus

tus Hildensemensis, Episcopus, Tidericus Mersburgensis Episcopus, Siboto Havelbergensis Episcopus, Henricus Palatinus Comes Rheni, Bernhardus Dux Saxoniae, Hermannus Lantgravius Turingiae, Tidericus Marchio Misnensis, Conradus marchio de Landsberg, Adelbertus marchio Brandenburgensis, Comes Fridericus de Brene, Geuehardus Burggravius Magdeburgensis, Comes Adolfus de Schovvenburg, Comes Burchardus de Mansfelt, Comes Algerus de Hohnstein, Albertus & Geuehardus fratres de Arnstein, Cone de Minczinberg, Basilius de Osterrode, Gunczillinus dapifer, Tidericus Rabil.&c.

Verum quod Romanus Pontifex hanc Praelatorum causam, vel primus agendam suscepit, vel agi coeptam tam diligenter fideliterque iuuit & promovit, sine dubio duas fecit ob causas, nempe ut Imperatores Germanicos, quorum potentiam & auctoritate curiae Romanae, inter immodicas opes luxuriantis, petulantia & libido coerceri refrenarique poterat, enervatos & imbelles redderet: Episcopos autem, quos satellites & tyrannidis suae ministros volebat, ad Rempublicam, quoties e re videbatur, perturbandam, viribus nervisque instructos, redderet paratiores. Deinde id moliebatur, ut praedam istam, sub specioso pietatis praetextu Caesaribus subdole & vafre extortam, per commodam & idoneam aliquam occasionem suam faceret. Cuius conatus rapacis & sacrilegi illustre ac memorabile exemplum exhibet Chronicon Coloniense vernacula lingua scriptum, cuius in historiae Adolphi, eius nominis secundi, ex Comite Marcano archiepiscopi Coloniensis, haec sunt verba: Item dair en bouen/quam ouch mere schadens / der Kirchen von Coellen/ want der vurs Pays (intelligit Urbanum quintum) mit einre nuwer wisse der gijerheit hadde he dain behalden ind verwaren vur des Pays Kamer alle dat

dat Goit des vürs Buschoffs Wilhelms dat he gelaiſſen hadde / ind dairumb ſoe bald as Buschoff Adolff vurs / in die Coeſche Kirche komen was / ſchickte Pays Urbanus einen ſynre Dienre int Stiffte van Coellen / mit namen Petrus Begonis, ind der hieſche ind vorderde all dat ghene / dat Buschoff Wilhelm nae gelaiſſen hadde / vp dat aller vyſſerſte. He vorderde alle ind ein yglich beyde ſnode / ind koestlichen dinge / die in der Kyrchen guesde geuonden wurden / alle liſſzucht / Wijn ind Korn / dat ouch vp den Sloeſſen was / dat dair beſtalt was / die dae mit vp ho halden. Item alle ingedome Hunbrait / alle ſiluerre ind gülden was / alle Eleyndie / Gott geue ſy dienten ho ydelheit / off ho den Gokdienſten / off ho dem Buschofflichem ſtatt. Dit alle ſame verkouffte des Pays bode ſo kale / dat niet dae bleue / ind mache dat ho Gelt / ind voirt dat mit ſych gen Rome vur des Pays Razer / dye vurs Coeſche Kyrche berouuende ſo ſchedelich mit ſulcher groiſſer vngewoentlicher ſchande aller Meynſchen. Hæc Chronicon Coloniense ſatis liberè.

Petrus Merſæus Minorida Coloniensis in catalogo archiepiscoporum Coloniensium, ne Idolum suum Romanum offendat, in historiâ V Vilhelmi archiepiscopi rapinam hanc diſſimulat contentus iſta dixiſſe: *Reliquit Episcopatum omnibus rebus necessarijs, vino & frumento refertissimum, qua omnia post eius obitum, ita breui absumta sunt, ut quasi nihil reliquisse videretur.* In historiâ verò archiepiscopi Ioannis vix vno verbulo rem attingit. *Interim, inquit, summus Pontifex Urbanus V. cum sibi ad suas manus omnia assumſiſſet, ac vindicaſſet, quem ecclesia praſiceret, secum expendit.*

En tibi autem vulturem cucullatum, ex monacho Massiliense Papam, alterum Verrem, dioeceses & monasteria euerrentem, nihilque, quod non euerſum atq; exterſum, relinquentem, Urbanum dico V. qui quod ipsius antecessor Vr-

banustertius versipellis & callidus hypocrita, ante annos circiter centum & octoginta duos, iniustum, adeoq; ecclesiarum corrosionem & exspoliationem, id est, manifestum sacrilegium vocare non dubitavit, impudenter & sine exemplo perpetrare haud erubescit.

En etiam Adolsum Coloniensem Præsulem luentem pœnas inconsultæ illius & præposteræ sententiæ, quam antecessor ipsius Philippus contra Fridericum Barbarossam, tum Romæ, tum alibi in Comitijs Imperij protulerat. Verè ergo Claudianus in Eutropium lib. 1.

*Quàm benè compositum est terris, vt semper iniqui  
Fructus consilij primis auctoris instet.*

Et Lucretius lib. 5.

*Circumretit enim fraus atq; iniuria queng,  
Atq; vnde exorta est in eum plerumq; reuertit.*

Hoc nimirum moliebantur Romanæ Harpyiæ (si vt Hieronymus loquitur, malitia tantas habuisset vires, quantos conatus) vt quod in Italiâ per inueteratam, siue veteratoriam consuetudinem obtinent, idem etiam in Germaniâ, vbi opulentiores & magis diuites Prælaturæ, in obseruatis molitionibus impetrarent, nempe vt alienis bonis per fraudem & sacrilegium insatiabilem cupiditatem explerent.

Morem istum Italicum graphicè describit Theodoricus Niemius, (quem nescio cur Magdeburgium nominent Fabricius in Originibus Saxonis lib. 2. & Petrus Albinus progymnasmatum pag. 199. cum ex Nihemio agri Padibornensis opido oriundus fuerit) ex scribâ Pontificio primùm Verdensis, deinde Cameracensis Episcopus, in Nemore vnionis tractatu 6. quem labyrinthum nominat, cap. 36. his verbis: *Hi boni Episcopi, Abbates & Prælati (Italici) Christo pauperi, & eius pauperibus*

Peribus sunt acerrimi & parcissimi, sed fisco fidelissimi, cui omnem eorum substantiam viui miserè viuendo conseruant. Morientibus enim dictis Episcopis, Abbatibus & Prælatibus, omnia per eos relicta (quæ spolia & meritò appellantur) collectores fructuum Camerae Apostolicae recolligunt, & in usus eorum seu Camerae prædictæ conuertunt, metentes messem, quam non seminarunt. Per has depredationes & rapinas, ultra quam dici potest, cathedrales ecclesias & monasteria Italiae destructa sunt, & pauci in eis, scilicet monasterijs ministri & monachi degunt. Hi etenim collectores & officiales, stimulante auaritiâ, multis malignis spiritibus quodammodo sunt æquales: quia ipsi Spiritus animas eorundem auarorum Prælatorum ad ima inferni demergunt, & hi caduca bona illorum omnia tollunt & consumunt.

Hæc dicto loco Niemius: qui idem lib.2. de schismate cap.10. addit, non expectatam semper, verùm sæpe-numero præuentam fuisse à raptoribus istis decedentium Prælatorum mortem. De Bonifacio nono (quem modò improbum mercatorem, modò inuerecundum & ingeniosum questorem, & in fundum iniquitatis descendentem: Gobelinus in Cosmodromio ætate 6. cap. 87. petram scandali & lapidem offensionis appellat) verba eius ista sunt: Hic etiam Argus antistes, libros, vestes, utensilia, & pecunias suorum curialium & Prælatorum, adhuc quandoq; ipsis agonizantibus, per quosdam officiales suæ curiæ ad hoc deputatos, pro se recolligi fecit ad instar corui in prædam hiantis.

Nullus etiam dubito, quin Alastor ille Bonifacius nonus, ex isto iure Cæsarum, cuius diploma Friderici secundi meminit, quòd nimirum Imperatoribus licuerit ab obitu Prælati cuiuslibet maioris, redditus & prouentus per totius anni curriculum prorsus auferre, suas excogitarit Annatas, nouum anteaq; inauditum aucupij genus, de quibus Niemius lib.2. de schismate cap.7. his verbis. Demum circa annum sui regiminis decimum,

*ut cautiùs ageret in hac parte, palliaretq; Simoniam, quam exercuit, quodam necessitatis colore, primos fructus unius anni omnium ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium suae Camera reservauit, ita quòd quicumq; ex tunc in Archiepiscopum, vel Episcopum, aut Abbatem, per eum promoueri voluit, ante omnia cogebatur soluere primos fructus ecclesiae vel monasterij, cui praefici voluit, etiamsi nunquam possessionem eiusdem consequi posset, de quo ipse Bonifacius penitus non curabat: imò saepe dicebat, utinam non adipiscatur possessionem ecclesiae vel monasterij huiusmodi, ad quam, vel ad quod eum promoueri: ut iterum de alio, quem praeficeret illi ecclesiae, vel monasterio, sicq; recentes pecunias extorqueret.*

Vide autem, cordate lector, & execrare mecum detestandam profligatamq; ingratitude Romanorum Pontificum, erga optimos Cæsares Germanicos, quorum piâ magnificentiam ex inopiâ peruenerant ad opes: non enim conquiescere, neq; fraudum, technarum, aucupiorumq; finem modum fecere priùs, quam benefactores suos, memorabili impudentiae & improbitatis exemplo, ab opibus tanto oneri pernecessarijs, ad deplorandam detruderent inopiam, ipsumq; Romanum Imperium, toti olim mundo venerabile ac æquè formidabile, suis iuribus, vectigalibus, ornamentis, maiestate & auctoritate, turpiter spoliatum denudatumq;, vicinis regibus dilacerandum vexandumq; propinassent.

Ab Henrico quinto, & Lothario Saxone, isto bellis ciuilibus per vim oppresso, hoc superstitione dementato, antiquum ius conferendorum Sacerdotiorum (vulgò Inuestituram Pontificalem vocant) quod à temporibus Karoli magni per continuos trecentos annos defensum conseruatumq;, Imperatoribus ad bella gerenda vectigal erat maximè necessarium, primùm extorserunt: quo concesso, ambitiosis Pontificibus, ad omne nequitiae & crudelitatis genus impunè exercendum fenestra patefacta est.

Secuta

Secuta post annos centum, & quod excurrit, iniquissima illa spoliatio hereditatis istius ecclesiastici, de quo hinc differimus. Potuissent eo iure & privilegio bono titulo uti & gaudere nostri Imperatores, utpote quorum liberalitate, etsi immodicâ & præposterâ, maiores Prælati supra morem modumq; ornati oneratiq; erant: potuissent superflua bona, quæ incautis possessoribus relicta malorum erant irritamenta, sibi & fisco vindicata, ecclesiæ ac reipublicæ ornandæ defendendæq; impendere. Quo verò iure, quoque prætextu, exuvia illæ ad extraneum, eumq; ecclesiastici ordinis, nulloq; cum magistratu hominem, cui cum rebus Imperij nihil negocij, quiq; aliàs plus nimio ab eo detraxit, ac rabidam demersit in aluum, devolui potuerit vel debuerit, equidem non video. Sed hæc, & similia ostendunt, non sine graui causâ Fridericum Secundum, Imperatorem summis illis omnium temporum heroibus annumerandum, exclamando quasi dixisse: *Reuerâ Imperialis felicitas Papali semper impugnatur inuidiâ.* Lege Cæsaris huius Epistolam apud Petrum de Vineis lib.1. cap.31.



*Joannes Nauclerus Chronographia optimâ  
volum.2. generat.41.*

**A**Nno Domini 1214. Otto quartus Imperator, cum ad partes Germaniæ dimissâ Italiâ declinasset, circa festum Pentecostes conuentum Norinbergæ principum suæ partis celebravit: in quo *multiplices Romani Pontificis contra se calliditates* exponens, quàm iniuste ab illo *insectaretur*, declaravit: *Adeste*, inquit, *animis principes,*

pes, quibus cura sit de regno, deq; in eodem rebus gubernandis: nempe ad vos respicit Teutonici regni quævis dispositio: vestra intererit eminus cuncta prospicere. Vestri etiam iuris esse fatemur, non Romani Pontificis, Imperatorem creare simul & destituere: vestrum si quid in Imperio tumultus insurrexerit, quò viritum extirpetur, curare legitur, o Principes & regni cordati proceres, ius vestrum defendite: pro patrijs & Imperij legibus vires exercete, ne si minus, & IMPERIVM & PATRIMONIVM dimittatis. Ut autem id fieri possit, persuasum credimus Romanum Pontificem, quo sese suis à presumptionibus reuocet, si monere blandiloquio tentaueritis. Nam si pro libito suo Romano Pontifici nimium, quàm expedit, dissimulando, depositionem Imperatoris permiseritis, actum breui vestrà de potestate in deligendo Imperatore omni dubio procul intelligetis. His itaq; ac similibus dum in concione ad Principes Otto Imperator perorasset, animos nonnullorum sibi conciliauit, &c.

FINIS.

Pag. 6. lin. 16. pro transalpaninum, lege trans-Alpinum.



V. 177



B. M. II, 137.

h. 26, 2.

HEN

DIS

Super q

quato Cæsa

dentiu

Me

Ex Offici

MI

IO,

anti

n dece-

e-

ccii.



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

